

a fascia qua quædam pars inferior tegebatur, cum alia reliquiarum multitudine. Om-
nibus hiis, diversis temporibus, rex devotus cum fratribus suis, episcopis, baro-
nibus, religiosorum clericorum et laicorum multitudine copiosa, nudo capite,
nudis pedibus reverenter, humiliter occurrit et portavit, civitate pannis sericis,
tapetis, cortinis variorum¹ vestimentorum et aliorum (quæque pretiosa et pulchra
videbantur) præornata, resonantibus vocibus ad laudem divinam pertinentibus;
necnon et organis et aliis hujus modi instrumentis, thuribulis odore redolentibus,
luminaribus accensis quasi stellis novis coruscantibus, et cymbalis et campanis
pulsatis. Fuerunt autem ostensæ reliquiaæ sanctæ populo, prædicatione præmissa,
indulgentia concessa, juxta Beatum Antonium in gradu ligneo ad loquendum et
ostendendum parato, et postmodum ad Beatam Virginem, tandem usque ad do-
mum regiam conductæ ubi ad honorem Dei honorifice reservantur.

Anno M.CC.XLII ab incarnatione Domini numerando, Parisius allatum est ferrum
Lanceæ prædictum cum Spongia et multis aliis reliquiis. Eodem anno, Robertus,
tunc abbas, præfati Herberti successor, et seniores ecclesiæ Beatæ Genovefæ ca-
nonici, deliberato consilio, divina gratia inspirante, firmaverunt dictæ virginis
corpus in capsam novam sive novum feretrum transferre, diem sollempnitatis
quaæ de translatione siebat retinentes non mutatam. Deliberaverunt insuper pri-
vatim et de nocte post matutinas hoc opportunius compleri, ne plebis Parisiacæ
et populi aliarum partium concursus immoderatus afflueret et oppressionem fa-
ciens ac tumultum, pium negotium impediret, ne prælati et nobiles de minutis
ossibus et aliis ad sanctam pertinentibus aliquid importunitate², commonitione
vel modo quocumque, extorquere niterentur: quod sine ira et indignatione vitari
non valeret. Commonitione ergo hujus modi facta ab abbate salubriter (*sanctifica-
mini et estote parati; cras enim videbitis auxilium Domini super vos*³), præfati fratres et
canonici, de revelatione ejus quod prius secretum fuerat gaudentes, studiose se
parare curaverunt ut interius et exterius mundi sancta tractarent. Matutinis
siquidem decantatis usque ad noni responsori completionem, pedes discalciati
in sanctuarium ascenderunt et manibus lotis ante altare beatæ Genovefæ secundum
ordinem humiliter ad orationem prostrati, septem psalmos pœnitentiales cum
lætania devote diverunt, et dicta confessione ac recepta domini abbatis absolu-
tione, capsam deposuerunt in qua corpus beatæ virginis cludebatur.

Viri religiosi ad hoc officium deputati, induiti stolis et manipulis, super majus
altare deportaverunt. Alii vero omnes et singuli superpelliciis induiti, tenentes
cereos ardentes in manibus, devote astabant. Capsa quidem magna vi reserata,
scrinium invenerunt bendis, vinculis et clavis firmiter communitum, cum certis
intersiguis indicantibus ibidem corpus sanctissimum beatæ virginis contineri. Erat
enim fortiter obseratum propter dissensiones, guerras et prælia in regno pericu-
lose ac frequenter evenientes.

Scrinio sic invento, ad visionem ossium beatorum ardentes, anhelabant astantes
ut non solum præsentia, sed rei desideratæ contuitu manifesto, tamquam mercede
maxima satiarentur oculi, animæ sitienti et esurienti sacri pignoris inæstimabile
gaudium nunciantes. Unde deliberatione et tractatu præhabitum, dictus abbas
scrinium fecit aperiri, et intro aspicientes qui aderant, invenerunt congeriem
ossium totius corporis integraliter (involutam samito niveo ita recenti⁴ quod non
videbatur necesse brandeum rubeum ad hoc paratum apponi), excepto dente quem
quidam⁵ prophanus excussit; sed reatus sui pœnam gravissima ultione persolvit.
Caput vero sacratissimum super ossa in capite scrinij, ab illa parte quam crux
exterior præsignabat, collocatum præfatus abbas cum reverentia, timore et lætitia
sublevavit, et præsentibus obtulit osculandum, supposito panno mundo et albo
lineo in altari, ut post visum delectaretur et tactus. Beati oculi, os et manus ad
hujus modi pertingentes, ubi contactus labiorum complexum et confoederationem
signat animorum! O sanctum osculum et fidem faciens infirmis, et in desiderio
satisfaciens perfectis! Sed numquid potest homo abscondere ignem in sinu suo

¹ Cod. male, ut videtur, vasorum.

² Cod. in oportunitate.

³ Cod. male recendi.

⁴ Cod. male quidem.